

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei  
 Fratri Henrico Ordinis Predicatorum  
 Cappellano venerabilis fratris nostri Episcopi Sabiniensis  
 Apostolice Sedis Legati

Salutem et Apostolicam Benedictionem

*Fr. Henrico in Livonia pro Christi nomine laboranti, sacra quaedam privilegia conceduntur.*

Digne volentes, ut causa Christi, quae in Livonia  
 ac Pruscia partibus agitur, per nostre provi-  
 sionis auxilium Deo propitio prosperetur, ti-  
 bi ampliationem catholice fidei, sicut a mul-  
 tis asperitur, ex animo diligenti, presentium  
 auctoritate committimus, ut hiis de terra  
 Culmensi, et Pruscia, qui ad tuam predica-  
 tionem acceperint, ac etiam, qui pro faciendis  
 edificiis ac fossatis, et aliis munitionibus defen-  
 sioni fidelium dictarum partium oportunis

laborem subierint in personis propriis, vel expen-  
sis, viginti Dies de iniuncta penitentia re-  
laxare valeas, ac illis ex crucisignatis clericis  
ac laicis in terris huiusmodi constitutis, qui  
pro violenta manuum iniectioe in religiosas  
personas, et clericos seculares, ac pro incendiis,  
et Ecclesiarum fracturis, seu rapinis, excom-  
municationis laqueum incurrerint, iuxta  
formam Ecclesie absolutionis beneficium im-  
pertiri, dummodo iniuriis et dampna pas-  
sis satisfaciant competenter, ac eorum non  
fuerit gravis et enormis excessus, propter  
quem merito sint ad apostolicam Sedem  
Destinandi. Cum illis autem ex Clericis memo-  
ratis, qui facti immemores, vel iuris ignari ex-  
communicati receperunt ordines, et divina

celebraverunt officia, prout eorum salutis  
 videris expedire, dispenses. Si vero scienter ta-  
 lia non in contemptum clauium presumpserunt,  
 eis per biennium ab ordinum executione suspen-  
 sis, et imposito sibi penitentia salutari, eos post-  
 modum ad gratiam dispensationis admittas, si  
 videris expedire. Ceterum Pomeranos, et alios,  
 qui propter invasionem Ruscie, seu terram Cal-  
 mensem lata per venerabilem fratrem nostrum  
 Sabinensem Episcopum, tunc in partibus illis apo-  
 stolice Sedis Legatum excommunicationis sen-  
 tentia sunt astricti, iuxta predictam formam,  
 et premissa satisfactionis modum absoluerint, va-  
 leas, nec noc ut neophitis, et apostatis ad uni-  
 tatem Ecclesie redire volentibus, qui pro eo quod ali-  
 quos ex fratribus Hospitalis sancte Marie Theuto-

nicorum, vel ex aliis fidelibus peremerunt, aut di-  
scrimen alias intulerunt eisdem, sunt excom-  
municatione ligati, possis iuxta formam Ec-  
clesie absolutionis beneficium impertiri, tibi  
auctoritate presentium concedimus facultatem.  
Datum Lugduni Kalendis februarii, Anno se-  
cundo.

Descriptam, et recognitam ex autographo Regesto Literarum  
aplicarum f. r. Innocentii PP. IV, an. II. ep. 186, quod adser-  
tur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis. In quorum fidem de-  
dabam de VII. Kalendas Junii M DCCCXXXVII.



A. Merini  
Tabular. S. R. E. Prefectus